



Leonhartus natus est in oppido Creütznach
 haud procul Vuormatia anno 1523. Is cum pri-
 ma literarum fundamēta iecisset, anno 1545 ad Mar-
 pacense monasterium in superiorem Alsatiam per-
 uenit, atq; in eo loco ordinem Canonorum regu-
 larium S. Augustini suscepit. Erat monasteriū illud
 olim anno 1060 à Burckardo nobili milite de Ge-
 bersuiler fundatum, atq; Mangoldus primus Præ-
 positus constitutus. Postea uerò Prepositura in ab-
 batiam conuersa, & Falco anno 1200 primus abbas
 declaratus. Cum autē sumptus eius loci ob multo-
 rum fratrum concursum esset maximus, ordinis re-
 formatio facta, atq; Abbatia in Prioratū conuersa.

Tum etiam Fridericus 1463 primus Prior designatus. In hoc monasterio exti-
 terunt semper uiri doctissimi ex Belgia eò acciti, inter quos etiamnum Hein-
 ricus uir senex & multæ lectionis superest. Bibliotheca etiam semper ibidem
 erat præstantissima, quam Erasmus Roterodamus inuisit, & plurimùm com-
 mendauit. Verùm ea, seditione rusticorum, magna ex parte interiijt, atq; cum
 reliquis antiquitatis monumentis Vulcano celsit.